

Non constat, Acta omnia Sextæ Synodi, subsignatione Imperatoris confirmata, ad quinque Patriarchales Sedes missa fuisse: de sola enim Fidei definitione id asseritur. Exempla tamen Actorum omnium, sive ea, ut modo descripta est, ratione subsignata, sive alio quocumque modo firmata, unumquemque Patriarcham, sive Vicarium Patriarchalem secum detulisse, certum est. Et ad Romanam quod spectat Ecclesiam, Anastasius in Vita Joannis Papæ V. *Hic (inquit) dum esset Diaconus, missus est a san. mem. Agathone Papa in Regiam urbem cum aliis Sacerdotibus representans locum Apostolicæ Sedis in sancta Sexta Synodo, quæ per Dei providentiam ibidem congregata est: expleta autem, exinde a clementissimo Principe relaxatus, magnum gaudium Ecclesiæ secum detulit: idest ipsam sanctam Sextam Synodum, vel edictum clementissimi Principis confirmans eandem Synodum.* Quidquid tamen sit, tam in definitione Fidei, quam in Actis, Honorius unacum Theodoro, Cyro, Sergio, Pyrrho, Paulo & Petro Monothelitis damnatus legitur. Concluditur ergo, Honorium a Synodo percussum esse anathemate, nec ullum in ejusdem Synodi Acta vitium irrepisse.

Altera proinde est Græcorum sententia, Honorium, tamquam hæreticum Monothelitam, æque ac Theodorum, Cyrum, Sergium, Pyrrhum, Paulum, Petrum, & Macarium, a Sextæ Synodi Patribus fuisse damnatum. Id confirmant Synodi ipsius verba a nobis supra recitata: ac præsertim acclamatio illa, *Honorio hæretico anathema.*

Lib. IV.

R

Ita

Antiochenam Sedem obtinuit, vixisse unum eundemq. Theodorum, quis dixerit? Restat igitur, ut appendix illa: *Qui fuit postea Patriarcha Antiochenus*, referatur ad *Georgium Presbyterum & Monachum Sebastenum*: qui revera fuit Patriarcha Antiochenus post Theophanis obitum. Vide Quinenum in Oriente Christ. Tom. 2. p. 743. Verum quoniam exemplaria definitionis Synodi dicantur porrecta Theodoro Vicario Hierosolymitanæ Sedis per hunc Georgium Presbyterum & Monachum Sebastenum anno Chr. 681. die 16. Septembris, quumque idem Georgius ad Antiochenam Sedem non nisi post mortem Theophanis, quæ aliquot saltem annis post Sextam Synodum contigit, assumptus sit, certo certius conicitur, hujusmodi appendicem fuisse a librario quopiam adjectam. Quumque eandem appendicem exhibeant, quotquot manuscripta vel impressa exstant Græca & Latina exemplaria, sequitur, vel nullibi exare genuinum Græcum aut Latinum exemplar, in quo illa appendix inesse omnino nequibat; vel ex uno depravato interpolatoque Græco & Latino exemplari omnia quotquot nunc exstant profluxisse. Sed de his postea sermo redibit.